

obsequentem : ac a sodalitia non probato alienum fore. Salvere plurimum & reverenter jubeo Dn. Parentem tuum ; Literas ad Monavium te quæso ut cures Vratislaviam proferri. Vale & salve, vir clariss. & amicissime Dn. compater. Basilea 28. Maji 1586.

EPISTOLA XLVI.

S Ego tibi, Vir Clar. & Compater optime ex animo *συμπαιθῶ*, ac cum heri tuas literas accepissem, hodie cum Ecclesia Basil. vota concepi etiam pro Magnifico Dn. Patre tuo, cui Deus aut invictam fidei & spei robur in chronico morbo, vel placidam vitæ *ἐκ βασιῶν* in *εὐθανασίαν* καὶ ἀθανασίαν convertendam, vel mitigationem dolorum largietur. Non enim fructu carent Ecclesiæ preces. Muffelius quidem, ut ejus valetudo fert, aliquoties sensit ex mutatione aeris & aquæ, vulgaria incommoda : Sed recte valet & hilariusculus est. Vellem ipsi Præceptorum adesse non morum sed studiorum gratia : nam ipse præter publica & domestica colloquia nil præstare possum. Audit Professore institutionum & meas lectiones historicas :

historicas :